

lo naturalium noticiarum & virium ductu ad veram fidem & justiciam, qua salvati sunt, pervenisse l. 3. p. 292. Satis profectò manifesta isthac sunt. Annè igitur adhuc Scholasticos iniquè à Confessoribus Pelagianismi insimulatos fuisse quiritabitur Monachus?

IIII.
Pontificij.

139. Quarto errant gravissimè Pontificij, quò Concupiscentiam, quam fomitem ipsi appellitant, & potissimum de incitatione libidinis intelligunt, peccatum aut malum esse pernegant, contra Scripturam, & totius Orthodoxæ Antiquitatis auctoritatem: Quemadmodum supra ex decreto Concilij Tridentini fuit ostensum. Cujus decisionem prorsus ratam, ac sacrosanctam defendere conatur Iesuita Bellarminus, Tom. III. Controversiarum, lib. 5. de amiss. grat. & stat. pec.

V.
Zuinglius.

140. Ad eundem in defectu errantium censum referimus etiam Zuinglium, qui peccatum Originale, ut est in filiis Adæ, propriè peccatum esse negavit, id quod Confessio ejus ad Carolum Imp. disertè testatur, ubi sic scribit: Volumus, nolimus, admittere cogimur, peccatum Originale, ut est in filiis Adæ: non propriè peccatum esse. Non enim est facinus contra legem.

Et l. de Baptismo, passim hunc ipsum errorem clarè defendere conatur, ut vel cæcitate vel insanire oporteat Georgium Sohnum Sacramentarium.

IIIIII.